



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Sessio Octava, Celebrata Die XI. Mensis Martii, M. D. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

SESSIO OCTAVA,
CELEBRATA DIE XI. MENSIS
MARTII, M. D. XLVII.

Decretum de translatione Concilij.

PLACETNE vobis decernere & declarare, de huiusmodi morbo ex præmissis & aliis allegatis ita manifestè & notoriè constare, ut Prælati in hac ciuitate sine vita discrimine commorari, & in ea idcirco inuiti minimè retineri possint & debeant? itemque attento recessu multorum Prælatorum post proximè præteritam Sessionem, & attentis protestationibus aliorum complurium Prælatorum, in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abite volentium, qui iuste detineri non possunt, & ex quorum discessu Concilium vel dissolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progressus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vita, & aliis causis per aliquos ex Patribus in ipsius Congregationibus allegatis, ut pote notoriè veris & legitimis. Placérne vobis similiter decernere & declarare, pro conseruatione, & prosecutione ipsius Concilij, securitate vita ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem & idoneum, pro tempore transferendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem iam indictam, statuta die vigesima prima Aprilis celebrandam esse, & celebrari; & successiuè ad ulteriora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, & sacro Concilio expedire videbitur, vi ad hunc seu alium loci, cōmunicato etiam consilio cum

Inuictissimo Cæsare, Christianissimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit & debeat?

Responderunt, PLACET.

SESSIO